





39. 9

Q. R. B. V.

POSITIONUM JURIS FEUDALIS

*Exercitatio Tertia, 1693 5<sup>c</sup>*

DE

**DIVISIONE FEUDI,**

& in specie

DE

**FEUDIS PROPRIIS.**

*Quam*

PRÆSIDE

**CASPARE HEINRICO HORNIO,**

J. U. D. Pandectarum P. P. atq; Collegiorum

Juridicorum, quæ hic sunt, Adfessore,

*D. XII. Augusti MD C XCIII.*

*In Auditorio Jctorum*

publice defendet

**ANTONIUS GÜNTHERUS LOESCHERUS**

Schwarzburgicus.



*VVITTEBERGÆ, Prelo Goderitschiano.*



POSITIONUM IURIS PRAEDICIS  
AUCTORIS  
DIVISIONE FELDI

& in specie

DE  
FELDIS PROPRIIS

PRÆSIDIS

CASPARIS HEINRICHUS HORNIO,  
J. U. D. Pandectarum P. Præd. Collegiorum

Prædicatoris & Juris Auctoris

Et XII. Augusti MD. C. XXIII.

In Auditorio Collegii

publice defendit

ANTONIUS GÜNTHERUS LORSCHNERUS

Schwarzburgensis

\*\*\*\*\*  
LITTEBACH, H. & S. Verlagsbuchhandlung



I. N. D. N. J. C.

I.

**S**umma Feudorum & univoca divisio est, quod aliud sit proprium sive rectum, aliud improprium sive non rectum. *F. 1. 2. II. F. 73, 488. Lehn. 4. 72.*

II. Feudum Proprium & Improprium quid sit, docet. *Jll. Dn. Stryck. q. 3. b. l. 9. i. T. 4.* Improprium, quia habet essentialia Feudi, sicque Feudum univocè talè est: nullum dubium, quin Leges, Statuta, Pacta de Feudis dependentia etiam ad illud pertineant, nisi ex ratione vel circumstantiis de alia disponentium mente constet, *II. F. 23. Inf. Anton. disp. I. Tb. 7. Ludw. de div. Feudi Cap. I. p. 32. dissentit Schrad. de Feudis cap. 2. p. 4. n. 65.*

III. Textus *II. F. 46.* obscuritate quodammodo laborat. *DN. Struv. c. 2. aph. 6.* aliique de Feudo Analogico vel abusivè ita dicto accipiunt, quod ita datum, ut dominium plenum in Vasallum transeat. Nos cum *Rosentb. c. 9. membr. 1. concl. 41. memb. 17.* de Feudo improprio intelligimus, eo nempe, quo non dominium plenum, sed tantum facultas alienandi libera sine consensu Domini concessa: quod contra naturalia Feudi est, illudque improprium reddit, *II. Feud. 26. §. Feudum a lege. conf. Bitsch. ad hosce textus.*

IV. Sunt, qui Feuda etiam ratione essentiae in impropria & propria dividunt. Sed tunc saltem fit divisio analogi in sua analogata, non univoci in univocata, Deficiente enim essentia Feudi, Feudum quoque deficit. *Conf. D. Struv. c. IV.*

A 3

V. Tria

V. Tria circa Feudum considerare solent Dd. Substantialia, Naturalia, & Accidentalibus. Substantialia vel si mavis essentialia, ea vocant, quæ ipsam essentiam Feudi constituunt, quæque à Feudo nunquam abesse possunt. Quo pertinet, quod fides debeatur mutua ob rem immobilem, II. F. 3. §. 6. 38. 47. cujus dominium utile Vasallo est concessum à Domino, reservato dominio directo. II. F. 8. II. F. 23. Hæc enim si absunt vel mutantur, Jus illud, quod constituitur, Feudum dici nequit, sed transit in aliam speciem. arg. L. 36. & L. 80. th. 5. ff. de contr. empt. conf. Ex. II. th. 16.

VI. Naturalia illæ qualitates Feudi dicuntur, quæ Juris Autoritate Feudo constituto inditæ sunt, ita ut sive exprimantur, sive omitterentur, subintelligantur tacite & comitentur Feudum I. F. 7. II. F. 2. 50. arg. L. 11. th. 1. act. empt. Vend. Ros. C. 2. c. 53. n. 3. Huc pertinet: Juramenti præstatio II. F. 3. Masculorum successio I. F. 8. §. 2. Obligatio ad servitia II. F. 23. aliæque quæ enumerant Feudistæ passim, & in compendio exhibet Magnif. D. Stryk. Exam. Jur. Feud. c. 3. qu. 5. Possunt tamen hæc omnia pactis inter Dominum & Vasallum initis salva Feudi essentia tolli vel immutari. I. F. 14. §. 9. II. F. 2. §. præterea. II. F. 3. infn. quod quando fit, Feudum vocatur improprium vid. Ludw. Syn. c. 3. D. Struv. c. 2. aph. 4. seqq.

VII. Accidentalibus denique dicuntur ea, quæ per conventionem Domini & Vasalli adjecta sunt, quibus natura Feudi augetur, vel minuitur. I. F. 6. §. quia etiam. II. F. 2. §. præterea. Quod si hisce communi Feudorum indoli quid detrahitur, Feudum, uti dictum, redditur improprium. Quando verò salva ubique Feudi natura manet, & tantum aliquid additur, quod regulariter Feudo non cohæret, Feudum nihilominus proprium dicendum erit. II. F. 2. §. præterea. ibidem. Ut Vasallus in festivois &c. Bocerus de qualit. & different. Feud. c. 5. n. 63. Ludw. d. div. Feud. c. 4. p. 84.

VIII. Equidem verissimum est, rem præsumi potius allodiam in dubio quàm Feudalem. Th. 6. Exerc. 2. Quod si autem de Feudali qualitate constet, in dubio Feudum potius proprium quàm improprium habetur. II. F. 2. §. fn. I. F. 1. §. 3. Hinc si pactum Feudo adjectum dubium sit, ea præferenda est interpretatio, quæ materiæ subjectæ, seu

com-

communi naturæ Feudorum consentanea est : Præsumitur enim talis voluntas disponentium, qualis est indoles rei. *L. 8. C. de Evict. & dubiæ contrahentium conventiones ex Jure Communi explicandæ. c. 8. X. de consuetud. Ludw. de div. Feud. c. 1. p. 30.* Quodsi tamen in quadam regione usitatum pacta alterantia adjicere, tunc in dubio ea pro adjectis habentur, etiamsi non expressa. *Schrad. P. 2. c. 4. in fin. arg L. 31. §. quæ assidua sunt. de Edilit. Edict.*

IX. Feudum *Vetus & Novum* quomodo differat *Struv. docet c. 3. §. 2.* Putamus tamen, non tantum, respectu Vasalli, sed etiam respectu Domini Feudum vetus vel novum dici posse.

X. Distinctio inter Feudum *Paternum & Antiquum* nobis non probatur ob ea, quæ habet DN. *Struv. d. l.*

XI. Datur etiam Feudum *Fraternum*, quod ea conditione alicui datum, ut si sine liberis moriatur, ad fratrem transeat. *I. F. 1. §. 14. II. F. 18. §. 20.* atque hoc Feudum intuitu Fratris succedentis ad vetus rectè refert *Struv. c. 1. §. 2.* nisi Frater illud ipse simul acquisierit ea conditione, ut fratre defuncto ad alterum pertineret : tunc enim potius novum esset. *Struv. d. l.*

XII. Filius abstinens paterna hereditate non potest in Feudo succedere, sicque hoc devolvitur ad Agnatos *II. F. 45.* Fac verò hos consentire, ut Dominus de eodem Feudo Filium investiat. Quæstio oritur: an hoc Feudum vetus vel novum sit? Afferimus posterius, quoniam novo titulo Feudum acquiritur, nec ex jure Patris devolvitur in Filium. Nec aliter Filius Feudum sine successione allodii, quàm novum acquirere potest. Agnati verò ita consentientes in investituram Feudi, eo ipso consentiunt in concessionem Feudi novi *Struv. d. l. n. 5. Obstat II. F. 49.* Respondèbimus. Quod si tamen Agnati Jura sua sibi reservaverint, Feudum intuitu Agnatorum manet vetus; intuitu autem Domini & Vasalli est novum.

XIII. Feudum consensu Agnatorum in Agnatum translatum manet Feudum antiquum *II. F. 39. II. F. 26. Roc. c. 2. C. 22.* Sed si in Extraneum, fit novum arg. *I. F. 5. §. præterea.* Nec rursus antiquum fit, si venditor denuò id emat, nisi fortè ob pactum retrò venditionis

A 3

Domini

Domini & Agnatorum consensu munitum redimatúr. *Rosenth. d. l. C. 23.*  
conf. *Hartm. Pist. p. 2. qu. 6.*

XIV. Feudum ex pretio veteris emtum novum nõn est. *arg. L. 3. C. in quibus causis pignus vel hypotheca. L. 6. C. de. R. V. L. 12. C. de Jure Dot. Obstat L. 36. §. 1. L. 58. ff. de donat.* Respondebimus: Sic nec pecunia ex Feudo redacta, nec fundus allodialis ea emtus, fit Feudum, nec Feudum ex dicta pecunia emtum fit antiquum: licet expressè contrahentes de eo conveniant, aut Agnati consentiant, nisi Domini consensus & investitura accedat. *Carpzov. P. 3. C. 30. d. 1.* Valet tamen conventio ut pecunia ex Feudo redacta ad solos Feudi successores pertineat. *Carpz. d. l. D. 4.*

XV. Volunt Dd. Feudum Antiquum cum alio si permutatum sit, Domini & Agnatorum consensu hoc naturam antiqui assumere *Struv. d. l. in fin.* Quod admittimus si Dominus expressè consenserit, ut qualitas Feudi antiqui novo huic adhæreat. *conf. Rosenth. c. 2. lib. 16. n. 5.*

XVI. Per naturam rerum impossibile quidem est, ut Feudum novum sit antiquum. Implicant enim hæc duo novum esse & antiquum simul. Potest tamen Dominus in præjudicium sui tribuere Feudo novo vim & effectum veteris, ut scilicet in eo collaterales Agnati succedant, perinde ac si á Majoribus esset acquisitum: *Nach Art und Eigenschafft eines alten Stam-Lehns II. F. 12. 18. Struv. c. 3. §. 3.*

XVII. Feudum concessum Jure Feudi antiqui non prius effectum Feudi antiqui natura talis sortiri volunt Dd. quàm cum successio ad Agnatos delata. Hoc posito interea temporis Vasallo consentiente Domino libere id poterit alienare in præjudicium Agnatorum; tunc enim demum Jus quæsitum Agnatis est, si Dominus & Vasallus in voluntate perseveraverint: nec præsumendum eos, in odium sui manus sibi ligasse. Planè si & cum Agnatis hoc nomine pactiones initæ, servandas illas esse nemo dubitat. *Rosenth. c. 3. C. 15, Anton. disp. I. §. 5. lit. E. Hartm. Pist. lib. 2. qu. 44.*

XIIX. Feudum antiquum consensu Agnatorum jure Feudi novi concedi potest. *II. F. 45. Struv. Th. 3. d. 1. Ros. c. 2. C. 17.*

ob



XIX. In quæstione an Feudum vetus, vel novum sit, quo quis ob culpam privandus erat, si culpa remittatur placet decisio, quam habet Dn. Stryk. qu. 20. C. III.

XX. Si Dominus aut alius à Domino causam habens haud vitiosè possideat, Feudum præsumitur novum, Vasallusque probabit esse antiquum *II. F. 37. §. fin.* Quod si verò Vasallus possideat ut Feudum antiquum, præsumtio est pro antiquo, & Dominus probabit esse novum *II. F. 11. §. fin.* Quod si neuter possideat, in dubio Feudum antiquum præsumendum potius, quàm novum *II. F. 11. §. fin. II. F. 26. pr. Carpz. p. 2. qu. 12. de 1.* Hæc autem præsumtio non id efficit, ut proptinus Agnatus in petitorio obrineat, sed ut tantummodo interim donec lis finita, in possessionem mittatur *II. F. 26.* quo facto Domino onus probandi incumbit, ita tamen, ut pro re nata illi vel Agnato juramentum deferre iudex possit, *II. F. 6. 11. 33.* id quod etiam in prioribus duobus casibus locum habet. *Finckelb. disp. 7. contr. 15. Ros. c. 2. C. 29.* Planè si quis de Feudo primum est investitus, atque sic Feudi novitas manifesta sit, Agnatus in possessionem mitti non debet.

XXI. Divisio Feudi in Ecclesiasticum & Seculare non à conferentis vel accipientis persona, sed ab objecto petita est, Dn. Stryk. qu. 26.

XXII. Ecclesia rem secularem si in Feudum accipiat, Feudum seculare efficitur. *Anton. disp. I. §. 4. lit. d. Dissentit Schrad. P. II. l. 3. n. 17. ob II. F. 40. Cui Respondebimus. Conf. Finck. disp. 11. c. 5.*

XXIII. Per vocabulum *Pfarr-Lehn* intelliguntur 1.) beneficia Ecclesiastica, quæ Parochis & aliis Clericis sustentationis causa assignata. Vocantur interdum *Lehen* simpliciter, item etiam *Kirchen-Lehen* / *Altar-Lehn*. *Eybenius in elect. Feudal. C. 2. §. 1. 2.* Jus conferendi hujusmodi beneficia, quod aliàs Jus Patronatus dicitur, *Ziegl. de dote Ecclesie cap. 5. §. 20.* Beneficia illa ipsa non sunt Feuda, licet vocabulum *Lehen* de iis usurpetur; Jus autem conferendi illa beneficia potest interdum acquiri & possideri ut Feudum. Plerumque tamen titulo allodiali, vel ex fundatione, vel ex ædificatione, vel dotatione Ecclesiæ acquiritur. *Brunno de Jur. Eccles. lib. 2. c. 8. §. 13. Lancell l. 1. T. 22. ibiq. Ziegler §. 13.* Acquisitum verò his modis in Feudum dari postea potest. Nec infrequens est  
ipias

ipsas Ecclesias nullo *Patrono* gaudentes Jus Patronatus ceu beneficium concedere. *Conf. Finckelt. II. de Jure Patron. c. 5. n. 9.*

XXIV. Jus Patronatus donari, non tamen separatim sine universitate vendi potest. *c. 6. 16. X. de Jure Patronatus. 7. & 23. X. eodem.* Nihilominus tamen usu receptum est, æstimationem fieri quoque Juris Patronatus in æstimatione alicujus Universitatis. *Finck c. 5. de Jure Patronatus num. 6.*

XXV. Nobilitas civilis est dignitas personæ, quæ tamen interdum mediante re confertur, quod fit in collatione Feudi Nobilis. Ad hoc Feudum tria requiruntur 1.) Potestas Nobilitandi 2.) Voluntas 3.) Declaratio voluntatis tacita sive expressa *II. F. 10. 14.* Erit itaque Feudum Nobile, quod primum ita datum, ut Vasallus simul nobilitatem mediante re consequatur. Atque cum ob nobilitatem Vasallus respectu rei in feudum datæ juribus peculiaribus fruatur: Nobilitas & Jura hæc Feudo videntur connexa, & manent connexa, licet postea ignobilis Feudum possideat, vel non ipse summus Princeps, sed alius investiat de eo. *Vid. Struv. cap. 3. aph. 5. & 8.*

XXVI. Feuda sine Nobilitate dari possunt, & Nobilitas sine Feudis. *Vultejus I. F. 8. n. 9.*

XXVIII. Feudum Nobile est vel *Regale vel non Regale.* Fundamentum hujus divisionis est, Nobilitas major, & Minor. Illa totum complexum dignitatum civilium à Regibus usque ad Barones inclusive comprehendit: Hæc Nobilibus in specie sic dictis competit; inter quos tunicum & plebejor usu Juris publici nostri medium quoddam genus datur illorum sc. *die gutten tapfern Herkommens. a. 40. Cap. Leopold.* In nostro Feudali Jure ad Regalia Feuda referuntur, Ducatus, Marchionatus & Comitatus. *I. F. 14. Sixtinus de Regalibus cap. 1. n. 5.* Ergo qui tali Feudo Regali investitur, ad præcellentem dignitatem & interdum Regiam ferè simul ascendit. Cujus rei insigne exemplum est in Electoribus Ecclesiasticis, qui plerumque ex inferiore Nobilitate per Feuda illa Regalia ad summam dignitatem perveniunt.

XXVIII. Feuda Regalia Summus Princeps, in Romano Imperio Imperator solus confert. Hic enim solus habet potestatem ejusmodi di-

dignitates conferendi. Dantur quidem Comitatus & Baroniae, quae à Principibus Imperii conferuntur. *Rosenb. c. 2. C. 1. lit. C.* Sed illa Feuda vel jam qualitatem Regalem habuere; antequam Principibus in Feuda oblata; ujus rei exemplum insigne in Comitatu Waldecciae Landgraviis Hassiae oblato est; vel Principes ab Imperatore accepere potestatem ejusmodi Dignitates cum Feudis, vel Feuda Regalia sine Dignitate conferendi. *vid. Eyben. in Elect. Feudal. cap. 9 §. 24.*

XIX. Feuda Ecclesiastica Regalia *Scepter-Lehn* dicuntur *lib. I. Spec. Suev. c. 32, lib. 3. Spec. Saxon. c. 20.* Quoniam usitatum fuit Ecclesiasticis Personis conferre territoria cum regalibus potestate & dignitate seculari per sceptrum. Ab hac tamen investitura diversa planè est, quae olim fiebat per baculum & annulum, quo Episcopis Dignitas & Potestas Ecclesiastica ab Imperatoribus concedebatur. Hanc potestatem in controversiam vocavit aperte primum *Gregorius VII. Can. 12. Caus. 16. qu. 7.* ejusque Successores, donec tandem post varias turbas *Henricus V.* transactione cum *Calixto II.* eo jure cessit, reservato tamen Jure Episcopos investiendi de Territoriis & Regalibus per sceptrum. *Vid. Ziegl. de Episcop. L. 2. cap. 2. Lehman. Chronico Spirensi L. 15. cap. 31. Meibom. peculiari dissertatione de Jure investitura.*

XXX. Feuda Regalia Secularia *Fahn-Lehen* dicuntur, quoniam in solennibus investituræ vexilla præferri solent, in quibus Regionum, de quibus fit investitura, depicta sunt insignia. Vexillis hinc rubrum sive sanguineum (*Die Blut-Fahne*) ab omni armorum seu insignium pictura vacuum jungi solitum fuit, quo Regalia alii, alii merùm Imperium significari volunt. *Hopping. de Jure Insignium cap. 17. n. 33. Obrecht. de Vexillo Imperii cap. 3.* Hodie tam Ecclesiastica quam Secularia Feuda per Gladium in Aula Imperiali & quidem Ducatus &c. & Principatus ab Imperatore ipso in throno sedente conceduntur. Nec à *Caroli V.* ævo vexilla adhibita fuisse rerum monumenta, quae quidem nobis inspicere licuit, tradunt. Interim neutiquam dici debet, morem illum investiendi per sceptrum & vexilla planè abolitum esse. Sed in arbitrio Imperatoris positum est, utrum illo uti velit. Latè de hac re agit. *Itter. de Feud. Imperii cap. 9. §. 34.* Illud certum post investituram *D. Mauritii Elect. Saxon.*

B

Saxon.

Saxoniae Augustae Vindelicorum sub dio factam, nullam adeò solenniter peractam esse.

XXXI. Oldenburgensis in Notitia Imperii P. I. Discept. 20. n. 27. asserit, in Feudis Ecclesiasticis Majoribus Regalia saltem per gladium conferri, non ipsa Feuda Ecclesiastica Majora. Sed recte notatur ab Ill. Dn. Rberio Just. Jur. Publ. 2. 29. 5. I. F. 14. p. 410.

XXXII. Jure Feudali Longobardico verius est, omnia Feuda à primi ordinis Vasallis nempe Capitaneis concessa nobilia dici, licet isti Capitanei non habuerint potestatem nobilitandi: Id quod ex permissione Imperatorum vel Regum factum est, II. F. 10. v. cæteri verò, ubi B. Schibus p. 286. Schrad. de Feudis Parte 2. cap. 3. n. 14. Jure Saxonico tamen secus esse volunt, Feudumq; à Capitaneo licet concessum nobilitatem hocce Jure censent non conferre Glossa ad art. 78. des Lehn-Rechts jur. c. 4. 2. 20. des Lehn-Rechts Schrad. d. l. Quid ergo de Feudis illis, quæ Nobiles in his terris possident, dicendum? Resp. Aut illa Feuda non sunt propriè Nobilia dicenda; aut dicuntur Nobilia Adeltiche oder Ritter-Lehne / quod Vasalli jam antea Nobilitatem consecuti de illis sint investiti, aut denique multas Familias nobiles ab Henrico Acupe & Ottonibus in his terris esse de Feudis cum collatione Nobilitatis investitos, ita ut ista Feuda jam eo tempore nobilia Feuda facta fuerint, & talia permanerint, etiamsi postea mutaverint possessores. conf. Finckelt. disp. 2. contr. 7.

XXXIII. Feudum jam olim cum Nobilitate datum ab eo qui potestatem habet nobilitandi in dubio Nobilitatem secum ferre præsumitur, Ros. cap. 2. qu. 2. n. 2. Wurmb. lib. 2. Sect. I. n. 15. præsertim autem in Feudis Regalibus hoc verum esse volunt Anton. disp. 1. §. 6. lit. b. Illustre exemplum est in Principibus Ecclesiasticis, qui ob territoria, de quibus investiuntur Principalem dignitatem nanciscuntur, sine peculiari creatione. Ex vero Investitura principalem hanc dignitatem tribuit; usùs tamen Juris publici statim post electionem ante investituram anticipando quasi dignitate hac utuntur, & Comitibus quoque interesse solent. Hermes Fasciculo Juris Publici c. 6. §. 25. Rher. I. F. 14. p. 409. Planè si contrarium ex literis investituræ appareat, vel personæ qualitas resistat,  
vel

vel aliæ conjecturæ adsint investiti de Ducatu, Comitatu, vel Baronia axiomate illo utiq; carent, atque tantum *Inhaber des Fürstenthums/ Graffschafft/oder Herschafft*/vocantur. Qua appellatione & illi gaudent, qui de Feudo Regali à Principe inferiori Jus Comites vel Barones creandi non habente investiti sunt, *Gail. de Arrestis cap. 6. n. 9. Becker. lib. 3. Synops Jur. Publ. cap. 8. n. 8. Exempla varia habet. Inter de Feudis Imperii cap. 5. §. 9. conf. Finckelb. disp. 2. cap. 7.*

XXXIV. Si Feudum Nobile concessum sine voluntate vel facultate nobilitandi Jura nobilitatis personæ coherencia, dignitatem & præcedentim investitus non consequitur; benè tamen illa, quæ Fendo ipsi coherent, e. g. Jurisdictionem; Jus venandi *Struv. c. 3. §. 8. n. 2.*

XXXV. Vi mandati D. Joh. Georgii I. de dat. Dresdæ de 25. Apr. 1623. cautum est, ne Feuda rustica vel alia bona rusticorum (*der Bauer* *ren Zins/dienstbar und Erb/wie auch Mann-Lehn-Güter*) Nobilibus vel Civici ordinis hominibus vendantur, sed tantum in rusticos transferantur. Quod etiam ad ea bona extensum est, so von denen von Adel zu Lehn gehen/ oder im Chur-Fürstl. Amts-Gerichten gelegen/ und seiner Chur-Fürstl. Durchl. mit Diensten Steuern und Folge zugethan. Sed in his subsistit. Ideoque ad alia bona rustica Feudalia vel Allodialia, quàm quæ expressa hic sunt, trahendum non est. Ad quam sententiam Collegium Jurid. Witteberg. aliquoties respondit. *App. Jur. Corp. Jur. Sac. pag. 180.*

XXXVI. Solus supremus Princeps Vasallos ligios absolutè ita dictos habere potest. *Bischof. II. F. 52. nec potest quis esse duorum dominorum Vasallus ligius II. F. 52. & II. F. 99.* Patetque hinc Vasallum absolutè ligium, etiam simul subditum esse debere. *Anton. disp. 1. & 3. lib. 6.* Etsi enim aliàs Vasallus non semper subditus esse debet, Jusque subjectionis & Vasallagii planè sunt diversa: hic tamen fidelitas, quæ à subdito debetur Magistratui non patitur, ut ille alterius Vasallus ligius fiat. *Vulrei. I. F. 8, 22.*

XXXVII. Rerum monumenta docent, Principes & Status Imperii Feuda ligia dedisse. In literis investituræ ab Henrico Episcopo Virodunensi dat. A. 1334. Comiti Veldentiæ inter alia hæc habentur: Comes

B 2

Veldentia

*Veldentia tenetur ad prestandam fidelitatem nobis & Successoribus Episcopis Verodunensibus, & debet esse homo ligius ante omnes Dominos. Item: Eumque contra omnes homines sepe dictus Comes Veldentia, sicut homo suos ligius iuvare tenetur pro posse. It. Hac omnia Dominus Comes tenet in Feudum ligium &c. quod monumentum junctum est sub numero IV. Gravaminibus Bipontinis Conventui Francofurtano A. 1682. exhibitis. Sed quia ejusmodi Feuda Imperatorem exceptum habent II: F. 55. in fin. §. gaudeant art. 8. J.P.O. saltem secundum quid ligia sunt atque ab aliis subligia, ab aliis non ligia dicuntur Rosenth. c. 2. C. 3. lter de Feudis Imperii c. 2. n. 12.*

XXXVIII. Feuda extra territorium Domini dari infrequens non est, atque Thuringia nostra id passim testatur, in qua quamplurima Feuda à Sede Moguntina dependent, in territorio tamen Serenissimorum Electoris & Ducum Saxoniae sunt sita. conf. *Cap Leopold. art. 27.* Utrum verò Jus nostrum Feudale per Feuda extra cortem Feuda in territorio alieno sita intelligat, meritò dubitamus: nec commodè textus Feudales I. F. §. & II. F. 51. ita explicari possunt. Nos defendemus Struvii sententiam cap. 4. §. 18. n. 5. conf. *Dn. Rhet. 1. I. 5. pag. 216.*

**F I N I S,**



Wittenberg, Diss., 1693

ULB Halle  
003 586 286



3

L


Sb.

V017









B.I.G.

Farbkarte #13



39. 9

R. B. V.

M JURIS FEUDALIS

editio Tertia, 1693 5<sup>c</sup>

DE

RE FEUDI,

in specie

DE

PROPRIIS.

Quam

ÆSIDE

HENRICO HORNIO,

Mag. P.P. atq; Collegiorum

Præf. hæc sunt, Adfessore,

Mag. J. C. MD C XCIII.

Mag. J. C. torum

Mag. J. C. defendet

CHRISTOPHERUS LOESCHERUS

Mag. J. C. rzburgicus.



Mag. J. C. Prelo Goderitschiano.

